

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Cupiditas ae  
cum fonte primo

Vidisti aliquando canem missa frustra  
panis aperto ore captantem:  
quicquid accepit, protinus integrum deuorat  
et semper ad spem futuri hyat.  
Idem euenit nobis:  
quicquid expectantibus fortuna proiecit,  
id sine ulla uoluntate dimittimus,  
statim ad rapinam alterius erecti et attoniti.

In Epycurum illud chaos incidimus;  
inane sine termino est.

Seneca epistola XIII.

Solebat Attalus hac imagine uti:  
'vidisti aliquando canem missa a domino frustra  
panis aut carnis aperto ore captantem?  
quidquid excepit protinus integrum deuorat  
et semper ad spem venturi hiat.

Idem euenit nobis:  
quidquid expectantibus fortuna proiecit,  
id sine ulla voluptate demittimus  
statim, ad rapinam alterius erecti et attoniti.'

Hoc sapienti non evenit: plenus est;  
etiam si quid obvenit, secure excipit ac reponit;  
laetitia fruitur maxima, continua, sua.

Habet aliquis bonam voluntatem,  
habet profectum, sed cui multum desit a summo:  
hic deprimitur alternis et extollitur  
ac modo in caelum adlevatur,  
modo defertur ad terram.

Inperitis ac rudibus nullus praecipitationis finis est;  
in Epicureum illud chaos decidunt,

inane sine termino. Est  
adhuc genus tertium eorum qui sapientiae adludunt,  
quam non quidem contigerunt,  
in conspectu tamen et, ut ita dicam, sub ictu habent:  
hi non concutiuntur, ne defluunt quidem;  
nondum in sicco, iam in portu sunt.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae  
morales*, 72.8-10 (L. Reynolds ed., vol.1, p.220,  
ll.3-19).